

minime prohibitum est eam alio quocumque idiomate vertere, et exarare, sed monetur potius, quod si in quacumque ejusdem operis editione, seu versione cujuscumque idiomatis tam in Urbe quam extra exarata, vel quae exarari contingat, dubium aliquod subinde emergerit, sive quoad Indulgentiarum concessionem, sive quoad praescriptas condiciones adimplendas, ad postremam hanc Editionem Typis Michaelis Perego-Salvioni gnaviter excusam, et in ipsius Sac. Congregationis Secretaria asservatam recursus habeatur. « Et ita Sac. Congregatio censuit, et declaravit. Die 14 Maji 1838.

CDLXXII.

BITURICEN.

Multi Doctores contendunt ad lucrandas S. Viae Crucis Indulgentias omnino necessarium esse recitare sexies Orationem Dominicam, et Angelicam Salutationem post absolutas omnes Stationes; cum autem haec conditio a paucis fidelibus adimpleatur, P. Bayard Superior Jesuitarum Bituricen quaerit « An sine praedicta Orationis Dominicae, et Angelicae Salutationis recitatione, Indulgentiae Stationum Viae Crucis lucrari queant, nec ne? »

Sac. Congregatio respondit ut sequitur « Quod recitatio Orationis Dominicae, et Angelicae Salutationis tam pro unaquaque Viae Crucis Statione, quam sexies ipsas preces iterare post absolutas omnes Stationes sit tantum laudabilis consuetudo a nonnullis inducta, minime vero necessaria ad lucrificandas hujus Viae Crucis Indulgentias, clare, aperteque declaravit Sac. Congregatio Indulgentiis praeposita in admonitionibus servandis pro Viae Crucis exercitio peragendo, jussu, et approbatione editis, tum Clementis XII sub die 3 Aprilis 1731, tum Benedicti XIV sub die 10 Maji 1742 ». Et iterum Sac. Congregatio declaravit. Die 2 Junii 1838.

CDLXXIII.

CAMERACEN.

Episcopus Cameracensis exponit praescriptum, seu legem totam Dioecesim afficientem promulgatam fuisse quoad sodalitates canonice erectas; quae lex fert, ut a duobus Confratribus, singulis anni Dominicis diebus, quaestuando, argentum colligatur. Cum vero a §. VIII. Bullae Clementis VIII. hoc prohibeatur, quaerit utrum quia factum quod lex praeclaudata ferebat, sodalitatum associationes nullae sint, privilegia, ac Indulgentiae adnexae, extinctae?

Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, ac re mature perpensa respondit « Nihil obstare ut Confraternitates eleemosinas colligant juxta legem totam Dioecesim afficientem ab Ordinario praescriptam erogandas in Ecclesiae seu Oratorii reparationem atque ornatum, vel in alios pios usus de consensu ejusdem Ordinarii juxta cit. Clementis VIII. Constitutionem § 8 proindeque sodalitatum associationes validae, privilegia, ac Indulgentiae adnexae minime extinctae » Ita respondit, et declaravit. Die 11 Junii 1838.

CDLXXIV.

CAMERACEN.

Idem Episcopus exponit, quod in sua Dioecesi arbitrabatur, Indulgentias Stationum Viae Crucis Tabulis, et non Crucibus adnexas fuisse. Ex hoc ortum est, quod in pluribus Ecclesiis, ubi erectae existunt Stationes Viae Crucis, Tabulae tantum apparent; supplicat pro facultate adnectendi omnes Indulgentias Viae Crucis Stationibus jam erectis, quamvis Tabulae tantum appareant, et hoc ne scandalum oriatur in populum.

Sac. Congregatio facta Sanctissimo relatione respondit « Sanctissimus etc. attenta bona fide convalidavit Stationes hucusque erectas sine Crucibus, ac mandavit, ut idem Episcopus orator sive per se, sive per ejus Vicarium Cruces ligneas privatim benedicat, easque benedictas, Stationibus sic jam erectis superpo-

nat meliori quo fieri potest modo, ne scandalum oriatur. Datum etc. Die 20 Junii 1838.

CDLXXV.

FAVENTINA

Proposito dubio huic Sac. Congr. ex parte Vicarii Ord. Min. Observ. S. Francisci vulgo *de Cotignola* Dioecesis Faventinae, *utrum Indulgentia perpetuis futuris temporibus concessa in Ecclesia S. Francisci dicti loci acquirenda a Christifidelibus una ex diebus Octidui Paschatis Resurrectionis adhuc vigeat, cum nonnullis abhinc annis alia similis Indulgentia data sit ad septemnum a Pio VIII. san. me. nulla facta mentione de concessione praecedenti?* Eadem Sac. Congregatio respondit «Vigere» Die 10 Julii 1838.

CDLXXVI.

VERONEN.

Episcopus Veronensis petit solutionem dubiorum, ut infra «Ex Constitutione Benedicti XIV. Summi Pontificis diei 13 Decembris 1740 conceditur Indulgentia in memoriam Agoniae Domini Nostri Jesu Christi pro singulis sextis feriis; pulsatio campanae feri debet hora tertia post meridiem, ut innuit laudata Constitutio, vel hora XXI. horologii Italici, ut vult libellus Romae editus anno 1834 inscriptus» Raccolta di orazioni, e pie opere etc. *Typis Perego-Salvioni?*

Sac. Congregatio respondit «Negative quoad primam partem» Affirmative quoad secundam juxta Romanam consuetudinem».

Tandem «Utrum Benedictio Apostolica pluries impertiri possit infirmis, novo mortis periculo redeunte?»

Sac. Congregatio respondit «Negative permanente infirmitate etsi diuturna; Affirmative si infirmus convalescerit, ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeat.» Sic declaravit Sac. Congregatio die 24 Septembris 1838.

CDLXXVII.

PANORMITAN.

Ad humillimas preces P. Antonii Vinci e Societate Jesu in Siciliae Ditione Provincialis, qui a Sacra Rituum Congregatione facultatem obtinuit erigendi in Ecclesia Domus Professae Panormi Piam Sodalitatem Cultus Perpetui Sanctissimi Cordis Mariae, addita quoque potestate huic Primariae Associationes ejusdem tituli aggregandi Sanctissimus Dominus Noster Gregorius PP. XVI benigne inclinatus, omnibus utriusque sexus Christifidelibus ipsi sodalitati adscriptis, sive associatis, qui per mensem quinquies saltem pium Exercitium in honorem Sanctissimi Cordis Mariae rite peregerint, Indulgentiam Plenariam semel in quolibet mense die uniuscujusque arbitrio eligenda in qua vere poenitentes confessi ac S. Communionem refecti fuerint; et aliquam Ecclesiam seu publicum Oratorium visitaverint; ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint permanenter est impertitus. Praesenti in perpetuum et pro Siciliae tantum Ditione valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulg. die 3 Augusti 1838.

C. CARD. CASTRACANE PRAEF.

H. Gymnasi Secret.

CDLXXVIII.

ATUREN.

Episcopus Aturensis deprecatur pro solutione dubiorum, quae sequuntur.

1.^o *An vigore Decreti 12 Junii 1822 possint omnes Christifideles ad lucranda Indulgentia festivitati cuidam adnectam confiteri intra octo dies festivitatem hanc praecedentes? Et in hypotesi negativa deprecatur ut haec facultas concedatur fidelibus Dioecesis Aturensis propter inopiam Confessariorum.*

Sac. Congregatio respondit « Negative quoad primam partem. Quoad secundam recurrat Episcopus ad Sac. Congregationem pro gratia, ut Confessio scilicet peracta a fidelibus suae Dioecesis infra hebdomadam ante festivitatem, attenta Confessariorum inopia suffragari possit ad Indulgentias acquirendas ».

2.^o *An possint fideles post quamlibet Communionem, quae sequitur Confessionem hebdomadalem lucrari Indulgentiam 10 Aprilis 1821 publicatam, incipientem his verbis « En Ego o Bone, et dulcissime Jesu? »*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative: at notandum est, quod in cit. Decreto diei 10 Aprilis 1821 a san. me. Pio PP. VII non modo concessa erat Plenaria Indulgentia, verum etiam liberatio unius animae a Purgatorii poenis; nunc vero per Decretum Leonis PP. XII fel. rec. diei 17 Septembris 1825 confirmatur praefata Indulgentia, sed loco praedictae liberationis, legendum est: cum facultate eandem Indulgentiam in suffragium defunctorum fidelium applicandi ».

3.^o *Ex responsis Sac. Congregationis die 20 Junii 1836 ad lucrandas Indulgentias S. Birgittae dictas, requiritur Corona praecatoria sex decadum, nisi habeantur peculiare facultates, sed requiritur ne recitatio Symboli Credo post quamlibet decadum? Et in hypotesi affirmativa deprecatur ut dispensatio ab hac duplici conditione ipsi concedatur: extendatur ad facultatem jam obtentam 30 Aprilis 1836 ad quinquennium applicandi coronis praecatoriis Indulgentias S. Birgittae, quia non sunt in usu coronae praecatoriae sex decadum, nec recitatio Symboli Credo post quamlibet decadum.*

Sac. Congregatio respondit « Quoad primam partem jam responsum est *Affirmative* die 20 Junii 1836 *nisi habeantur peculiare facultates* » Quoad secundam duplex dispensatio postulatur. 1.^o Benedicere Coronas etiamsi sint quinque decadum cum applicatione Indulgentiarum S. Birgittae. 2.^o Omittendi Symbolum Apostolicum in fine cujuslibet decadis; cui respondetur » Ad 1.^m Non indigere, vigore rescripti ad quinquennium sub datum diei 30 Aprilis 1836. « Ad 2.^m Negative quoties recitetur Corona sex decadum ».

4.^o *An de novo benedicendae sint Cruces, et Imagines Viae Crucis, ad tempus a parietibus disjunctae propter rationabilem causam?*

Sac. Congregatio respondit « In casu de quo agitur, Cruces non sunt iterum benedicendae; quoad Imagines vero numquam benedicuntur ».

5.^o *Insuper deprecatur idem Episcopus Auren. ut favores per Indultum Clementis XIII 9 Decembris 1743. Confessioni hebdomadali adnexi extendantur ad Confessionem bis in mense factam propter inopiam Confessariorum, et locorum distantiam, praecipue pro Sacerdotibus Ruri degentibus etc.*

Sac. Congregatio respondit « Negative, et quoad inopiam Confessariorum (idem dicendum de locorum distantia) jam provisum in festivitibus, quibus adnexa est Indulgentia Plenaria ex cit. Decreto diei 12 Junii 1822. » Et ita ad singula respondit Sacra Congregatio. Die 28 Septembris 1838.

CDLXXIX.

SEKEN.

Parochus Ecclesiae vulgo in Pantaneto, Dioecesis Senensis, ac Vice-Praefectus Congregationis Adorationis Perpetuae erectae in Ecclesia S. Vigili exposit, ut sequitur: Quod Pius VI san. me. die 13 Martii 1776 concesserat Monachorum Coetui S. Vigili in perpetuum pro eorum Ecclesia (quae hodie spectat ad praefatam Congregationem) omnes Indulgentias, quae a Benedicto XIII die 23 Septembris 1729 concessae fuerant Sodalitati Bonae Mortis eo anno 1776 in eadem Ecclesia S. Vigili tunc esistenti.

Quod idem Pontifex Pius VI die 26 Octobris 1798 ex Audientia habita Florentiae indulserat in perpetuum, ut Sodales dictae Congregationis Adorationis Perpetuae (quae eo anno 1798 erecta fuit, et conjuncta Sodalitati Bonae Mortis) omnes, et singulas Indulgentias Sodalitatis Bonae Mortis lucrari potuissent una cum Indulgentiis, tam coeteris Congregationibus Adorationis Perpetuae concessis, quam Ecclesiae S. Vigili impertitis.

Quod Ecclesia S. Vigili, supresso Monachorum Ordine, clausa fuerit, et Congregatio Adorationis ad Ecclesiam S. Donati fuerit translata usque ad annum 1816; quo tempore, ex superiorum concessione, iterum ad Ecclesiam S. Vigili se contulerit, ubi actu quoque moratur.

Hisce positis, Moderatores Sodalitatis Adorationis etc. arbitrati sunt amisisse Indulgentias ob praefatam Sodalitatis, seu Congregationis translationem, nec non Sodalitatem Bonae Mortis suppressam omnino fuisse ob Monachorum Ordinis suppressionem qua propter supplicarunt pro nova erectione Bonae Mortis, pro novis Indulgentiis, et pro confirmatione antiquarum, ac sub die 26 Augusti 1815 ex Secreteria a supplicibus libellis rescriptum fuit « Benigne annuit pro gratia petita translationis, et confirmationis Indulgentiarum, de quibus in precibus ad formam tamen priorum Concessionum de licentia Ordinarii. Ad septennium » At vero prima concessio erat, ut sequitur « Praesentibus in perpetuum valituris etc. » hinc dubitatur:

1.^o An primo Rescripto in perpetuum, vel secundo ad Septennium standum sit?

2.^o Sodalitas Bonae Mortis suppressa estne putanda ob Ordinis suppressionem, non obstante quod unum tantum Corpus efformaret cum Sodalitate Adorationis, cui ex concessione fuerat conjuncta?

3.^o Indulgentiae perpetuae concessae praefatae Congregationi Adorationis amissae sunt stante temporanea translatione Congregationis ad aliam Ecclesiam?

4.^o Indulgentiae concessae tantum Ecclesiae S. Vigili putandae sunt adhuc vigentes, stante temporanea clausura ejusdem Ecclesiae, quamvis in perpetuum concessae?

Sac. Congregatio respondit « Ad primum » Secundo Rescripto standum est. Ad secundum, tertium, et quartum « Jam provisum per dictum Rescriptum ». Die 28 Septembris 1838.

CDLXXX.

MASSILIEN.

Titius Civitatis Massiliensis apud se possidet ac retinet devotam quamdam Deiparae Virginis effigiem in tabula coloribus pictam, cui Episcopus Ordinarius adnexuit quadraginta dierum Indulgentiam acquirendam a Christifidelibus nonnullas preces ante ipsam recitantibus. Rursus quotquot alios Episcopos per illam civitatem transeuntes idem Titius exorat, ut unusquisque alios quadraginta dies de Indulgentia praefatae imagini concedat. Quaeritur a Sac. Congregatione quid dicendum sit de praedictis concessionibus, quidque de Episcopis transeuntibus, sine permissu Ordinarii Indulgentias concedentibus?

Sac. Congregatio respondit « Indulgentiae, quae ut supra a nonnullis Episcopis pro aliquibus precibus recitandis ante Imaginem Beatae Mariae Virginis sunt impertitae, nullius roboris sunt, ac momenti, ac revera apocriphae, praeter illa nempe quadraginta dierum, quam prima tantum vice Episcopus Dioecesanus ex jurisdictione sibi dumtaxat competenti, est elargitus. Die 17 Decembris 1838.

CDLXXXI.

INCERTI LOCI

Titius suum habet domicilium prope plateam, ubi quibusdam solemnioribus anni diebus coadunatur populus pro Papali benedictione accipienda, quam Episcopus Dioecesanus solet impertiri. Idem Titius per fenestras domi suae, quae plateam respiciunt accipit praefatam benedictionem simul cum tota familia, et nonnullis extraneis qui hac de causa ad praedictam domum accedunt. At vero cum Moniales ejusdem loci in monasterio non longe distante ab ipsa platea degentes Apostolicam dispensationem impetrarunt pro dictae Papalis benedictionis consequutione, dubitatur a Titio utrum ipse quoque dispensatione indigeat, an potius in plateam descendere sit obligatus?

Sac. Congregatio respondit « Titius, ejusque familia, nec non

et omnes, qui apud ipsum actu inveniuntur, habita ratione localitatis ipsius, vere praesentes considerandi, Indulgentiam quae in Episcopali benedictione populo impertitur, reapse consequuntur; minime vero Moniales, quae etiamsi non longe distent, tamen ut absentes ex earum localitate merito sunt habendae. Sic auditis quoque Consultorum votis Sac. Congr. declaravit die 7 Januarii 1839.

CDLXXXII.

CARDICEN.

Episcopus Cardicensis a S. C. Indulgentiarum solutionem exposcit dubiorum, quae sequuntur.

1.^o *Utrum Jerosolymorum Coronae Indulgentias amittant, si alicui donentur?*

Sac. Congregatio respondit « Affirmative; quoties non dentur immediate; vel mediate a persona facultatem habente eas distribuendi.

2.^o *Utrum post mortem Domini, aliter acquirat dominium earum, nempe Indulgentiarum?*

Sac. Congregatio respondit « Negative, quia Indulgentiae non transeunt personam prioris domini.

3.^o *Si rumpatur illarum filum sive voluntarie, ut catenis nectantur, sive involuntarie, et fortuito id acciderit?*

Sac. Congregatio respondit « Negative, quia Coronae eadem perseverent quoad formam moralem ».

4.^o *Si globuli quatuor, vel quinque deperdantur?*

Respondetur « Negative ex allata ratione in praecedenti responsione ».

5.^o *Si amico praestentur, seu commodentur, sive ad Coronam simpliciter recitandam, sive ad Indulgentias lucrandas.*

Sac. Congregatio respondit « Negative in primo casu: Affirmative in secundo ». Ut enim pereant Indulgentiae Coronis aliisque rebus mobilibus affixae requiritur finis dandi vel praestandi pro communicatione Indulgentiarum sicuti expresse legitur in Elencho Indulgentiarum typis impresso, et a Sac. Congregatione ap-

probato ». Ita declaravit Eadem Sac. Congregatio die 10 Januarii 1839.

CDLXXXIII.

BONONIEN.

Archipresbyter S. Mariae vulgo della Baricella Dioecesis Bononien. obtinuit per Breve diei 2 Septembris 1831 Indulgentiam Plenariam acquirendam in festo Nativitatis B. M. V. applicabilem quoque fidelibus defunctis per particulam « Quam etiam » quaerit an vi praefatae particulae haec Indulgentia intelligenda sit inclusive, seu exclusive, videlicet aut pro vivis tantum, vel pro defunctis, sive pro vivis atque defunctis eodem tempore?

Sac. Congregatio respondit « Quando in Concessionibus Indulgentiarum apponuntur haec verba - *Quam etiam* - aut similia, ut intelligatur easdem Indulgentias applicabiles esse etiam animabus in Purgatorio detentis, exclusive tantum accipienda sunt, ita ut Christifidelis ad libitum aut pro se, aut pro defunctis tantum lucrari possit, et valeat. Ita Sac. Congr. declaravit sub die 15 Januarii 1839.

CDLXXXIV.

VIVARIEN.

Episcopus Vivariensis enixe postulat sequentium dubiorum solutionem.

1.^o *Utrum Corona S. Birgittae dicta necessario constare debeat sex decadum?*

2.^o *Utrum in singulis decadibus, praeter decem Ave Maria, et Pater, recitandus sit Credo?*

Ratio dubitandi est quod ex una parte 1.^o pars affirmativa satis aperte innuatur in libro, cui titulus « Raccolta di Orazioni, e pie Opere per le quali sono state concesse dai SS. Pontefici le SS. Indulgenze Ediz. 7 pag. 197. » 2.^o et quod, si id non requiratur, Corona S. Birgittae, non nisi nomine differt a simplici Corona. Ex altera autem parte 1.^o haec opinio est omnino usque nunc, saltem in Gallia, inaudita, et 2.^o ex eo-

dem libro supra cit. ad lucrandas Indulgentias sufficit recitare quinque decades, sicut in simplici Rosario « Sac. Congregatio respondit ».

Ad primum « Affirmative ».

Ad secundum « Affirmative, si recitetur stricte loquendo Corona S. Birgittae nuncupata, de qua ipsamet autrix fuit in memoriam, ut fertur, sexaginta trium annorum Beatae Mariae Virginis. Negative autem si cum praedicta Corona recitentur quinque, vel quindecim decades Rosarii, seu simplicis, et communis Coronae. Ex responsionibus vero patet, realiter Coronam S. Birgittae a simplici, et communi Corona, seu Rosario differre, non tamen solo nomine, ut supra putatur in dubiis; nam ipsa quinque, vel quindecim decadibus, illa sex decadibus tantum constare debet; etsi simplici Coronae, seu Rosario saepe adnectuntur Indulgentiae S. Birgittae nuncupatae, hoc non nisi Apostolica Dispensatione indulgetur. Differt, quia una in memoriam componitur Beatae Mariae Virginis annorum, altera mysteria Nativitatis, Passionis, et Glorae Christi Domini complectitur. Differt pro Indulgentiarum varietate, Coronam scilicet Divae Birgittae quamplurimum Indulgentiarum Leo X, Clemens XI san. me. concessione ditarunt, ac Benedictus XIV eas confirmavit, et auxit pro recitantibus, vel secum ipsam ferentibus; Rosarium vero, seu simplex Corona a fel. rec. Benedicto XIII nonnullis Indulgentiis pro ejusdem recitatione solummodo donata est. Differt etiam pro diversitate benedictionis, qua utraque decoratur: una nempe a Superioribus Ordinis Sanctissimi Salvatoris, seu S. Birgittae, altera vero a patribus Ordinis Praedicatorum est omnino benedicenda: quod autem opinio haec lucrandi scilicet Indulgentias S. Birgittae cum sola recitatione quinque decadum sit absolute in Gallia saltem inaudita, satis supra dictum est in responsionibus, quae nonnullis aliis Galliarum Dioecesibus superioribus annis, et praesertim 1826, et 1838 ab hac Sac. Congregatione datae sunt. Ita Eadem Sac. Congr. responsum dedit die 15 Januarii 1839 ».

CDLXXXV.

TORNACEN.

Episcopus Tornacensis Sac. Congregationi hoc dubium solvendum proposuit « Inter chartas, quae in Ecclesia Sanctae Waldetrudis Dioecesis Tornacen. asservantur, inveniuntur Bulla, et Decreta episcopalia quibus conceditur facultas erigendi Confraternitatem dictae Sanctae Waldetrudis, sed dubitatur, an praefata Confraternitas unquam erecta sit, vel an defectu Confratrum desierit existere. Cum vi, et tenore Bullarum Confraternitas in perpetuum erigenda esset, petitur an novae erectionis canonicae opus sit ad instaurandam hanc Confraternitatem, vel si nondum erecta fuit, Bullis et Decretis praedictis uti nunc adhuc liceat? »

Sac. Congregatio auditis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, declaravit non indigere nova canonica erectione pro Sodalitate Sanctae Waldetrudis instauranda; ac si etiam ob defectum Confratrum ipsa desierit, tamen Indulgentiae, ac Privilegia in enunciata Bulla contenta, minime amissa sunt; proindeque vigere. Die 28 Januarii 1839.

CDLXXXVI.

LINGONEN.

Petrus Favrel Vicarius Generalis, et Moderator Generalis piarum Sodalitatum intra Dioecesim Lingonensem a Sac. Congr. Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praeposita expetit responsionem ad quaedam infrascripta dubia; scilicet.

1.^o *Utrum Sacerdos Rector Sodalitatis B. M. V. de Rosario olim canonice erectae sive per Patres Ordinis Praedicatorum, sive per Indultum speciale Apostolicum habeat eo ipso, quod sit Rector dictae Sodalitatis facultatem benedicendi Rosaria, et quidem pro omnibus Christifidelibus cum applicatione Indulgentiarum, quas applicant dicti Patres Ordinis Praedicatorum?*

Sac. Congregatio respondit « Negative, nisi in Diplomate Erectionis, sive in Indulto Apostolico addita sit facultas Rectori pro